



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi
Thomæ**

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Index Capitvm Libri Decimi De Trinitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

INDEX CAPITVM LIBRI DECIMI DE TRINITATE.

- C**ap. 1. An Filius sit spirator cum Patre.
 Cap. 2. An Spiritus sanctus distingueretur à verbo sine processione ab illo.
 Cap. 3. An Pater, & Filius immediate spirent.
 Cap. 4. An secundum rationem sit processio immediate à Patre, & Filio.
 Cap. 5. An Pater, & Filius sint vnus spirator.
 Cap. 6. An duæ personæ per se spirent.
 Cap. 7. An Pater & Filius sint vnum principium.

LIBER DECIMVS, DE SPIRATORE, SEV PRINCIPIO SPIRITVS SANCTI.

Riusquam de tertia persona Trinitatis dicamus, operæ pretium est de illius principio dicere, quod Spirator appellatur. Nam licet correlatiuum Spiritus sancti sit, & ex hac parte videatur esse simul cognitione cum illo, tamen quatenus habet suam prioritatem originis, & in se est aliquid subsistens suam propriam considerationem habet, quæ & pertinet quodammodo ad consummatam de Patre & Filio tractationem, quia esse Spirator est tanquam proprietas communis illis, & parabit viam ad cognitionem Spiritus sancti, quam in sequenti libro tractemus. Hic verò supponimus, necessarium esse, dari aliquod principium tertiæ personæ, quia oportet, illam esse productam, aliter enim multiplicari non posset. Sicut autem illam personam Spiritum Sanctum vocamus, ita principium eius appellamus Spiratorem. Circa quod nomen præmittere oportet, posse denominationem illam sumi, vel ab origine actiua, vel à relatione Spirantis, seu producentis per voluntatem: in hac enim processione vt Theologi notarunt, ob penuriam nominum, eadem voce originem & relationem nominamus. Quæ duo licet in re non distinguantur, tamen ratione distincta sunt, iuxta dicta superius lib. 5. & 6. Quæ distinctio quantum ad modum nostrum concipiendi multum refert. Is autem, qui tam ab origine, quam à relatione denominatur, idem est, & de illo præsertim agimus in hoc libro: nam illæ proprietates in abstracto explicatæ sunt in dicto lib. 5. & 6. hic autem magis etiam declarabitur earum ratio.

CAPVT I.

Non solum Patrem, sed etiam Filium esse Spiratorem, seu Spiritus sancti principium.

Quod Pater sit Spiritus sancti principium, adeo est certum, vt nec hæretici, qui Trinitatem con- Suarez: de Deo trinuno.

fitentur, id negent. Quia Scriptura expresse dicit, Spiritum sanctum procedere à Patre, id enim disertis verbis asseruit Christus Ioan. 14. Spiritus, qui à Patre procedit, & supra ostensum est Patrem esse fontem totius Deitatis. De processione igitur à Filio est controuersia, quæ solum cum Græcis versatur: nam in Ecclesia Latina etiam fuit semper indubitata hæc veritas, quod Spiritus S. à Filio procedat, vt in Conc. Lugdunensi sub Gregorio X. definitum est, & habetur in c. vnic. de Summa Trinitate, in 6. & in Conc. Lateranensi sub Innocentio III. in cap. Firmiter, & late in Concilio Florentino per totum. Et ex antiquis Conciliis, in Toletano 13. in Confess. Fidei, & in aliis, quæ infra indicabo. In Patribus etiam Latinis passim occurrit hæc veritas, præsertim videri potest Leo Papa epist. 91. alias 93. cap. 1. & Hormisdæ Papa epist. 1. c. 2. Augustinus 7. de Trinitate. c. 11. & lib. 15. cap. 10. 15. & sequentibus. Hilar. libr. 2. de Trinitate, Prosper libr. 1. de vita contemplatiua, cap. 18. & alios statim commemorabo.

Ab hac tamen veritate dissenserunt Græci, & primus, apud quem legitur contrarius error, est Theodoretus in contradictione, anathemat. 9. Cyrillus, vbi dicit: Si Spiritum sanctum ex Filio, aut per Filium essentiam habere dicas, tanquam impium aspernabimur, credimus enim Filio dicenti, Spiritus, qui ex Patre procedit. Et hunc errorem secuti sunt eo tempore Nestoriani, quibus tunc Theodoretus fauit, vt colligitur ex Concilio Ephesino, tomo 2. c. 31. & ex 5. Synodo, collatione 4. in fine. Tunc autem de hoc errore ex professo tractatum non est, imo nulla de illo postea fuit mentio vsque ad tempora Theophylacti ante 540. annos. Qui hunc etiam docuit super Ioannem 3. & expresse reprehendit Latinos, tamen sine schismate, vel aperta hæresi. Postea vero à tempore Leonis IX. Pontificis, ortum est apertum Schisma, & propter hunc articulum, inter alios, Ecclesia Græca à Latina diuisa est, negata obedientia summo Pontifici. Potest autem tota controuersia ad quatuor puncta reduci, de Scriptura, de Conciliis Græcis, de Patribus Græcis, & de Additione ad Symbolum: quæ breuiter expediam.

T r Circa